



C. 151.



6
DE
FIDE HISTORICA
RECTE AESTIMANDA
DISPUTATIO
IN ACADEMIA LIPSIENSI

CONSENSV
AMPLISS. ORDINIS PHILOSOPH
P R A E S I D E
IO. AVGVSTO ERNESTI

A. M. HVMANIOR. LITTER. PROF. ET SCHOLAE
THOMANAE RECTORE

A. D. VI. APRILIS A. C. MDCCCXXXVI

AD DISCEPTANDVM
PROPOSITA

A

CHRISTIANO LVDOVICO STIEGLITZ

L I P S I E N S I

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIANA

IN DER UNIVERSITÄT
VON
GIESSEN
DIE
PHILOSOPHISCHE
FACULTÄT
HAT
DIE
DOKTORWÜRDIGKEIT
VERLEHNT
AUF
DIE
DOKTOR-
DISSERTATION
VON
HERRN
GUSTAV
ADOLF
VON
MANNING
DIE
DOKTOR-
DISSERTATION
HAT
DIE
DOKTOR-
WÜRDIGKEIT
VERLEHNT
DIE
DOKTOR-
DISSERTATION
HAT
DIE
DOKTOR-
WÜRDIGKEIT
VERLEHNT



V I R O
MAGNIFICO ILLVSTRI
ATQVE EXCELLENTISSIMO
IACOBO BORNIO
REGIS POLONIAE ET PRINCIPIS
ELECTORIS SAXONIAE CANCELLARIO VICARIO
CIVITATIS LIPSIENSIS CONSVLII, SCABINATVS
ASSESSORI AD AEDEM D. NICOLAI
ANTISTITI REE .

PATRONO VENERANDO

*Q*uam TIBI fidem dedi tum, cum, ac-
cepto a TE Borniano stipendio, polli-
cerer, me gratum erga TE animum,
primum, beneficio recte vsurpando,
quod TV, pro magnitudine animi TVI maxime
velles, deinde vero etiam, TE TVISque virtuti-
bus

bus summo studio colendis, praestitutum esse:
eius fidei publice liberandae primam mihi hanc
facultatem datam esse existimaui, cum littera-
rum humaniorum qualemcunque scientiam meam,
de Fide historica scribendo ac differendo, profer-
rem. Id consilium TE non improbatum confi-
do. Nam eo ingenio es, ut plurimum tribuas
huic litterarum generi, eo autem animo, ut TIBI
nullo modo displicere possit, qui quam gratissi-
mum se cupiat probare. Accipe igitur, ea, quae
TIBI insita est, facilitate, hoc pietatis in TE
meae documentum: quo simul fidem TIBI meam
obstringo, talem me semper in TE fore, qualem
ipse vis, qualemque esse et ceterae TVAE virtu-
tes et liberalitas in me TVA postulat, hac lege at-
que conditione, ut mihi in ceteris rebus sic credatur,
ut huic promisso meo fides constiterit

MAGNIFICO ATQVE ILLVSTRI
NOMINI TVO

addictissimus

CHRISTIANVS LVDOVICVS STIEGLITZ



I
um omnibus litterarum disciplinis
cognitio veritatis sit proposita; tum
vero ad eam maxime, ac prope di-
cam vnice, referendum est ac diri-
gendum historiae studium. Nam neque aliud esse hi-
storia debet, quam rerum gestarum euentorumque
superiorum scientia, neque prodesse hominibus, nisi
vera sit, potest. Itaque Thucydides, qui primus hi-
storici perfectionem assecutus est, se vera tantum, in-
quit, quae sola historiae sint, protulisse, quod veram
vtilitatem potius, quam inanem voluptatem legentium,
spectarit. Sed, quoniam veritas non semper sponte
occurrit, sed quibusdam sui vestigiis, quae interdum
valde leuiter impressa et obscura praebet, quaeri vult
ac deprehendi, in eo maxime elaborandum videtur ei,

I. 22.

A

qui

qui vtilem operam historiae nauare velit, vt recte de veritate iudicare discat

II

*Praelect.
Cambden. p.
4. et 5.
Animad. Hi-
stor. p. 6. et
206.*

Nihil autem difficilius hoc iudicio veritatis esse, et res ipsa loquitur, et Dodwellus, Perizonius, alique in hoc genere iudicandi exercitatissimi viri, fatentur. Ei difficultati occurrere voluerunt docti quidam viri, optabili sane probabilique conatu, et hanc iudicandi rationem redigere ad certas praeceptorum formulas tentarunt: quo loco Eifenhardus, Thomastius, alique numerantur. Eorum omnium omnia praecepta commemorare, atque sub examinibus subtilitatem vocare, et infinitum, et superuacuum foret. Cui otium est, illorum rationem cum nostra contendere, facile per se poterit, quid intersit, arbitrari

III

Sed in primis Philosophi, quum sibi potestatem concessam putarent, de omnibus rebus, diuinis humanisque, iudicandi, non modo, in huius quoque iudicii praeceptis tradendis, se admittendos audiendosque censuerunt, sed etiam acumen suum, in rerum ab aliis traditarum fide iudicanda, probare voluerunt. Sed in vtraque re, non modo parum subtiliter, et ad vsum accommodate, sed etiam interdum ad veritatem historicam labefactandam perniciose sunt versati. Nam ipsa profecto definitio fidei, ab iis vulgo probata, parum subtilitatis habet: leges autem, quibus fidei iudi-

iudicium adstringitur, non satis circumscripte sanc-
ciuntur

IV

Nam, si quis eas leges ad fidem examinandam iu-
dicandamque conferre instituat, et in ea contentione
intelligenter periteque versetur, reperiat profecto, eas
parum utiles ad iudicandum esse, iisque citius impediri
fidei iudicium, quam adiuuari. Sed in primis pingues
reperiuntur tum, cum probabilitatis historicae fontes
aperire, et praecepta eius iudicandae, et quasi me-
tiendae, tradere instituunt. Quod hoc minus mirum
videri debet, cum boni isti viri plerumque idoneo re-
rum usu, et exercitatione iudicandi careant, quae in
hoc genere dominatur, similesque sint iis, quos Cicero *de Orat. II. 18.*
ridet, Rhetoribus, qui, de arte in foro dicendi, praeci-
pian, cum ipsi nunquam in foro sint versati. Ac ve-
reor, ne hi tales, qui, cum ipsi ne tirocinia quidem
historica posuerint, tamen de fide et probabilitate hi-
storica subtiliter, et, quod supra fidem videatur, ad
rationis mathematicae severitatem, praecipere audent,
illi Phormioni, apud Ciceronem, Philosopho Peripa-
tetico sint comparandi; qui, audiente Hannibale, dif-
ferere et philosophari instituerat, de Imperatoris offi-
cio, atque omni re militari, ipse cum nunquam castra
hostemue vidisset. Quem cum ceteri, et Philosophi,
et philosophia leuiter imbuti Proceres Ephesii, admi-
rarentur, Hannibal Imperator dixit, *multos quidem se
vidisse*

vidisse deliros, sed, qui magis, quam iste Philosophus, deliraret, vidisse neminem

V

Atque, vt hoc facilius intelligeretur, quam essent ista praecepta, tam parum definite scripta, non modo inutilia, sed etiam noxia, ipsi Philosophi quidam re declararunt, cum ea ad res certas, minutis quibusdam ratiunculis, in dubitationem adducendas, omninoque Pyrrhonismum in historiam inducendum, contulerunt. Omnis profecto hinc pendet Vayerii, Baelii, Clerici, aliorumque ratio, qui, aut vniuersae veteri historiae, aut eius parti, aut insigni alicui eius auctori, fidem detrudere voluerunt: subingeniosi illi quidem interdum, in dubitatiunculis excogitandis, sed in iudicando parum acuti. Quare optime facerent, si totum hocce genus omnino non attingerent, et suis se finibus continerent. Sed age, definitio Philosophorum qualis sit, videamus

VI

Fidem autem sic definiunt, vt dicant, esse in eo, qui verum potuerit, et voluerit dicere: non falso illi quidem, sed tamen parum acute, hoc est, ad intelligendum iudicandumque parum accommodate. Nam illud *posse*, atque *velle*, quis non videt, quam ambiguum sit, et ad certum reperendum imbecille? Ac nescio, annon locum fecerit multis inanibus dubitatiunculis, quibus nonnulli clarissimis rebus tenebras offuderunt. Sed quam lubricum sit vtrumque, postea

VII

VII
 Nobis quidem placet sic definire *fidem historicam*,
ut sit eorum, quos constat, rem, uti erat, aut gesta fue-
rat, planissime tenuisse, et, uti sciebant, ita dixisse. Rem
 autem *plane sciunt*, primum ii, qui necessario sciunt,
 aut non possunt non scire: deinde, qui rei, uti gesta
 erat, cognoscendae idoneam facultatem habuerunt.
 Rem porro *vere dixerunt*, primo, qui necessario dix-
 erunt, tum, qui nulla re, quo minus vere dicerent,
 impediti fuerunt, idoneas verò causas, quare vellent
 dicere, habuerunt. Sed pressius ista enucleabimus

VIII

Primo igitur, rem *necessario sciunt*, qui eam ipsi
 gesserunt, et facti cuiusque auctores; id quod per se
 intelligitur: interdum etiam ii, qui rei gestae affue-
 runt; si quidem res est eiusmodi, ut, si adsis, neces-
 sario, si velis, planissime perspicias: quod quale sit,
 postea pluribus dicitur: post ii, qui ei publicis litteris
 monumentisque consignandae adhibentur: quod ipsum
 facile intelligitur

IX

Rei autem recte cognoscendae idoneam facultatem ha-
bere dicimus eos, qui eius e monumentis publicis co-
 gnoscendae ius ac potestatem habent: tum, qui ex iis,
 qui necessario sciebant, cognoscere possunt: deni-
 que, qui iis, quibus res gesta est, temporibus vixe-
 runt; vnde fides aequalium scriptorum ducitur. In

quo genere tamen magna cautio est, ne id simpliciter accipiamus, sed ad ea rerum genera reuocemus, quorum haec est ratio atque natura, ut ad omnium aequaliter scientiam perueniant. Quae quales sint, postea docebimus

X

Necessitas porro *verum dicendi* vnice cadit in eos, qui litteris publicis rem quamque iubentur mandare: *Voluntas* autem *veri dicendi* intelligitur, ut diximus, tum, cum nulla causa falsi, graues autem veri tradendi, reperientur itemque aetate auctoris, patria, et scribendi genere

XI

Atque hi fere sunt fontes, a quibus omnis fides manat. Omnia vero ista sic comparantur, ut *summa* et certissima *fides* sit eorum, qui rem et necessario sciebant, et necessario vere dicebant: *secundus* autem *locus* tribuatur his, quos, certo scimus, rem e litteris monumentisque publicis haussisse. *Tertii* erunt, qui rem necessario sciebant, et vere dicere volebant: quibus recte adiungentur hi, qui ab iis acceperunt. *Quartos* denique faciemus, qui tempore eo, quo res gesta est, vixerunt. Hac comparatione constituuntur *gradus fidei*: quibus cognitio, in dissensu tradentium, vtri plus tribuendum sit, poterit iudicari. Sed de singulis partibus separatim deinceps est dicendum

XII

Summa igitur *omninoque certa fides* est *litterarum*
et

et monumentorum publicorum, atque omnium eorum, qui ex his perita proferunt. Adque et insitus cuique sensus, et summa necessitas, et consentiens optimorum, omnis aevi, historicorum tum opinio, tum consuetudo, iubet existimare. Nam quis est, qui, cum rem aliquam litteris ac monumentis publicis reperiat testatam, non ita adficiatur animo, ut, omni dubitatione liberatus, in eorum testimonio et auctoritate prorsus acquiescat? Ac nescio, quomodo in iis, quae priuata auctoritate traduntur, animus semper aliquid amplius desideret, quod maiorem credendi necessitatem afferat: propterea, quod, quae res voluntati humanae relictæ sunt, in iis nihil esse omnino certi potest, cum ipsa nihil sit incertius, atque mobilius. Itaque, nisi res ipsa, aut alia quaedam haud dubia signa accedant, quibus priuata sustentetur fides, dubius animus relinquitur. Quod secus est in iis, quae publica auctoritate legentibus commendantur: in quibus, quia inest quaedam conueniens istis rebus necessitas, animus nihil amplius requirit

XIII

Ex quo cum haud obscure intelligatur tabularum publicarum ad fidem recte constituendam necessitas: tum vero multo magis ea stabilitur scriptorum frequenti dissensu: quo saepe ita in varias partes legentium distrahuntur animi, ut, quid probent, non reperiunt. Nam non eos tantum dissentire inter se videas,

deas, quos diuersa tempora tulere; sed eos quoque, qui vno eodemque tempore vixerunt, suaeque aetatis res memoriae tradiderunt. In quo genere Graecos iure reprehendit Iosephus, *) qui, causam huius tanti dissensus, prudenter monet, esse hanc, quod et Graecae gentis leuitas non satis consuluerit rerum memoriae publicis litteris ac monumentis, et scriptores non ad publicarum litterarum fidem omnia sua retulerint. Tali autem dissensu non modo impeditam, sed etiam incertam fieri historiam, nemo non videt: cum interdum dissentiant ii, qui parae auctoritatis videantur. Quanquam vero negari non potest, etiam aliam, in dissensu, iudicandi esse rationem, de qua infra differendi locus erit: eam tamen vehementer lubricam esse, neque vim huius rationis vilo modo assequi, patet. Nulla igitur satis certa ratio eiusmodi controuersiarum dirimendarum relinquitur, nisi, quae publicis testimoniis vtatur. Regis Romani nomine quis primus vsus sit, disputatum est: aliis ad Fridericum I, aliis ad Henricum III. et IV. referentibus. Composuit certamen diplomatum auctoritas, quae iam Henrico II id nominis adscribitur. Regnum Arelatense ad Germanicum pertinuerit, nec ne, quaesitum est, vtrique parti quibusdam scriptoribus fauentibus. Desiit res discutari, ex quo Diplomata Conradi IV. et Friderici II. a Petro

Cbron. Gotiv.
p. 233.

*) *c. Ap. L. I. c. 3. 4. p. 439. de Romanis, v. Periz. An. hist.*
p. 208. 209.

Petro Saxio, aliaque aliorum Imperatorum prolata sunt; in quibus satis clare ad Germaniae Imperium refertur. *) Finem dicendi non reperiremus, si ex nostra tantum historia exempla congerere omnia vellemus

*in Pontificio
Arelatensi
p. 225.*

XIV

Neque paruum hic momentum facit, quod quaedam interdum accidunt, quae paullatim minus credibilia fiunt: non, ut Cragius existimat, ipsa vetustate; quae ille perabsurde statuit, omnium, quarumvis rerum, etiam diuinarum, fidem minui et exstingui: sed morum, opinionum, rerumque ipsarum commutationibus; quae magnam saepe Vayeriis, Baeliis, facultatem praebent ratiuncularum, quibus veritatem rerum fidemque conuellant: cuius generis permulta sunt in omni veterum populorum, Graecorum, Romanorum, Germanorum etiam, historia. Horum igitur fidei quomodo consuleretur satis, nisi litterarum monimentorumque publicorum auctoritate. Nam, etsi aliam quoque rationem subtiliorem esse scimus, de qua dicemus infra: tamen ea, ipsa subtilitate, minus influit in mentes, obtususque mouet animos, inprimis eorum, qui illius subtilitatis gustum non habent: ex quo genere plerosque esse scimus, qui ad res gestas cognoscendas accedunt. Ne externis exemplis vtamur, celebre est Kaufungia-

*Princip.
Theol. Ma-
them. C. 2.*

*Vide Cassi
Logica.*

num

*) v. Ill. Mascouii Comment. p. 179.

num illud, in Ernesto atque Alberto, Friderici II. Saxo-
nis filiis, perpetratum, facinus, magnoque scriptorum
consensu, ipsaque apud nos fama, constanter traditum.
Id qui e nostris moribus aestimarent, coeperant in du-
bium vocare, fabulisque adnumerare: quarum per-
multae fati constanter traduntur. Sed, cum litterae
publicae, quibus id testatum reliquerunt maiores, pro-
latae essent e tabulario Vitembergico, fides rei est con-
stituta, neque vllum ei posthac periculum timendum
videtur

XV

Recte itaque Dodwellus monet, quae ante bella
Thebana gesta fuerint, incertissima esse, nulla alia de
caussa, quam, quod nullae tabulae publicae monimen-
taque tum confici, in tabulariisque, ad posteritatis me-
moriæ, seruari consueissent. Quod cum, quia inlitum
est intimis hominum sensibus, viderent veteres populi
cultiores, egregie hoc instituerunt, vt res publicas, qua-
rum scientiam posteris profuturam putarent, publice,
per idoneos homines, testibus etiam custodibusque ap-
positis, in litteras referrent, publiceque seruarent, grauis-
simis propositis poenis, si quis litteras tales corrumpere,
aut interpolare, aut falso aliquid in litteras publicas re-
ferre ausus esset. De Ebraeis testis est Iosephus: de
Aegyptiis et Chaldaeis Graeci magno consensu tradunt:
de Tyriis idem Iosephus: qui etiam locum de regibus
Tyriis e Menandro Ephesio profert, qui ex actis Tyrio-
rum

Bract. Cambd.
p. 23.

Ap. L. I. c. 7.

l. c. c. 11.

rum publicis scripsit, planissime consentientem libris di-
uinis, mireque inde laudatum Scaligero. De Perſis ^{fragm. vet.}
porro ipsae sacrae litterae confirmant: Athenienses au- ^{Græc. fidei.}
tem, quis nescit, in templis legum ^{p. 26.} *νόμοις*, federum pa- ^{Escher. c. 6.}
cisque tabulas, SCta, plebiscita, aliaque his similia, qui-
bus historia maxime continetur, sub *ιερομνημόνων* custo-
dia, seruasse: similiterque institutum, apud permultas ^{Dodw. l. c.}
alias graecas ciuitates fuit. Pergameni quoque, in De- ^{p. 26. etc.}
creto pro Iudaeis, *δημόσια γράμματα*, ex iisque antiquis- ^{ap. Ioseph.}
simas res, commemorarunt *ἱερὰ βιβλία* ^{A. l. XIV.}
^{c. 10.}

XVI

Sed omnem omnium curam in eo genere ac dili-
gentiam superarunt Romani. Nam primo, ciuium in-
fantes recens nati, a Seruii inde Tullii temporibus, ^{Dionys. IV.}
apud aedem Lucinae, publicos in commentarios relati, ^{p. 220.}
apud Libitinam autem mortuorum hominum nomina
delata. Libri praeterea censuales diligentissime facti ^{Dionys. ibid.}
et seruati apud aerarium. *) Tum leges, SCta, pacis,
federumque formulae, triumphorum tabulae, in tem-
plis fixae, et apud aerarium repositae. Senatorum por-
ro et equitum catalogi, Iudicumque decuriae ibidem
conditae. Magistratum deinde edicta et commen-
tarii rerum in magistratu gestarum. Tum res bellicae
diligenter scriptae, numerus et nomina legionum, na-
uium, ducum: res gestae publice ad senatum perscri-
ptae:

*) Dionysii quidem aetate Tulliani libri Censuales adhuc exta-
bant, v. L. IV. p. 225.

ptae: acta bellorum et triumphorum, provinciarumque formulae. Annales etiam a Pontifice M. consignati: quorum confectione intermissa, Acta S. P. Q. vt publice scriberentur, institutum. Accessere deinde litterae, edicta, orationes, rescripta principum, et magistratum provincialium ad eos epistolae. Cura autem tabularii magistratibus erat mandata: primum Consulibus, tum Aedilibus plebis, *) Censoribus **) deinde, tandem Quaestoribus. ***) Quam diligenter autem dispositae ibi prostiterint tabulae publicae, ex insigni Iosephi loco, quo Scutum, in Hyrcani gratiam, a Coss. M. Antonio et P. Dolabella factum, refert, intelligitur

*) Liv. III. 55.

**) Liv. IV. 8.

***) Ioseph. A.

I. XIV. 10.

2. 10.

ibid.

XVII
Atque huic rei magna auctoritas accedit a iudicio sapientissimorum, omnis aetatis, Historicorum, Criticorumque: qui ita necessaria ad fidem historicam stabilendam monumenta publica esse pronunciarunt, vt sine iis consistere nullo modo possent. Atque vt Sacerdotem Aegyptium, in Platonis Timaeo, mittamus, qui, litterarum publicarum interitu fieri solere, ait, vt, neque externorum populorum, neque patriae res antiquas, sciamus, vtque ea, quae commemorantur, non multum distent a puerilibus fabulis: in primis multus in hoc est magnus, vt vere Casaubonus vocat, scriptor Iosephus contra Apionem, vt, sine monumentorum commentariorumque publicorum ope, nullam esse historiam, ostendat. Dio autem Cassius, ad ea Augusti tempora delatus,

Cap. VIII.

L. I. p. 438. f.

E. 53. p. 509.

delatus, quibus omnis res publica penes eum unum fuit, etiam hac de causa, fatetur, consequentium temporum historiam incertam ac fallacem factam esse, quod rerum gestarum commentarii, ac litterae publicae, non, ut antea, publicatae, sed occultatae sint, resque adeo ita, ut alii scripserint, non ut monumentis publicis consignatae sint, tradi possint. Itaque, nisi, posteriori aetate, illorum temporum publica monumenta prolata essent, maxima eius historiae pars in incerto esset.

XVIII

Sed non tantum ita iudicarunt summi omnis aevi historici, verum etiam scribendae historiae rationem maxime ad hoc suum iudicium rerulerunt. Itaque eos videas, in grauis inprimis rebus, monumenta publica, Instrumenta belli pacisque, Leges, Scta, Epistolas, nobis, nominatim, vel integra tradere, vel quae scripserint, ex iis summa, monere. Thucydides quidem Instrumentum induciarum inter Lacedaemonios et Athenienses factarum, formulam pacis in

L. IV. p. 225.
280.

L. V. p. 302. 305.

annos inter eosdem factae, ac deique leges confederationis, a Lacedaemoniis eorumque sociis cum Rege Dario initae, aliaque plura commemorat. Polybius autem quot deditarum urbium, pacis, aliarumque rerum publica instrumenta, historiae suae inseruit?

L. VIII. p. 475.
extr. 486. 487.
p. 319. 336. 499.
etc.

Federa inter Romanos et Carthaginenses icta: Formula iuristurandi, qua fedus sancierunt, Hannibal et Xe-

L. I. 62. et L.
III. 22. 199.
L. VII. 7. 11.

*Legat. Exc.
o. IX.
ibid.*

ibid. n. XXXV.

ibid. n. LIX.

nophanes Philippi Regis Maced. Legatus: SCtum sus-
per pace cum Philippo facta a Q. Flamio: Formula,
qua Graeci, quos subfugarat Philippus, a Romanis,
victo Philippo, liberantur: sedus porro cum Antio-
cho: pacis instrumentum inter Eumenum, Prusiam,
Ariarathem, et Pharnacem, Mithridatemque, aliaque
apud ipsum publica monumenta prodita reperiuntur.
Eandem rationem Dionysium atque Iosephum secutum
esse, vel obiter eorum libros inspicienti patet. Iose-
phus quidem, in Antiquitatibus Iudaicis, tum de bello
Iudaico, vbique Psephismata, Leges, SCta, Epistolas
publicas affert, commentariosque publicos commemo-
rat: in quibus si forte interdum deceptus est, spuria
que pro genuinis attulit, intelligitur tamen illud, quod
volumus, ipsum legem illam in libris scribendis dili-
genter esse secutum. Neque aliter Lium videmus
fecisse, cuius ex eo genere loca Maffaeus notavit. Sed
inprimis in eo genere diligens et frequens reperitur
Suetonius, cuius loca enarrare nimis longum foret.

*in Illo. Di-
plom. p. 42.*

ibid.

ibid.

ibid.

ibid.

ibid.

ibid.

ibid.

ibid.

ibid.

ibid.

ibid.

ibid.

ibid.

ibid.

ibid.

ibid.

ibid.

ibid.

ibid.

XIX
Maxime autem, quantam vim ei generi monimen-
torum tribuerint, intelligitur ex eo, quod fere eorum
auctoritate decernant controuersias rerum, aut homi-
num cupiditate, aut antiquitate, aut alia quadam caus-
sa, vel corruptarum, vel varie traditarum. Quo in
genere in primis creber est Suetonius. Non conue-
niebat, neque de loco, neque de anno Tiberii natali.
Sucto-

Suetonius, sua sententia proposita, sic, addit, *enim in fastos actaque publica relatum est.* Multo magis variabant auctores de natalibus Caligulae. Contra omnium sententias disputat rationibus. Sed tamen dirimit rem actorum fide. *Ego in actis Antii inuenio editum - - Calig. c. 8. sequenda est igitur Actorum et publici instrumenti auctoritas*

XX

Neque vero existimandum est id, quod multos in iudicio, de scriptorum fide, fallit, ea tantum e publicis litteris hausta esse, in quibus diserta earum commemoratio reperitur: quam in rebus, aut non magnis, aut parum conouerfis, aut eiusmodi denique, quae vix aliunde peti possent, superuacua habebant. Neque enim olim ea, quae nunc tenet, ambitio erat, vt fontibus, vnde hauseris, vbique commemorandis, ornatus libris et gloria scriptoribus captaretur: quae ratio merito vanitatis arguitur, et repudiatur a Perizonio, elegantissimo viro. Itaque multa in veteribus historicis reperiuntur, ducta illa quidem e publicis monumentis, prope totidem interdum verbis, nulla tamen eorum mentione iniecta. Vt pauca exempla commemoremus: magna pars rerum Augusti a Suetonio deprompta est e monumento illo, quod hodie Ancyra- rum dicitur, vt comparando facile quisque poterit intelligere: tanta diligentia, vt saepe verba ipsa moni- menti seruentur. In illo monumento, v. c. haec sunt:

Natalis

*praef. ad Hist.
Sec. XVI.*

C. 41.

Navalis proelii spectaculum populo nunc nemus est Caesarum, cauiato solo. Suetonius eadem sic habet: *item navale proelium, circa Tiberim, cauiato solo, ubi nunc Caesarum nemus est* *). Per multa porro ex actis sumpta esse loca ea indicio sunt, ubi eorum, propter idoneas, ut supra diximus, causas, diferta

*) Labet hic obiter refellere Casaubonum, qui, ad hunc locum, monet lectores, ne illud *nunc* ad Suetonii tempora referant, quod e monumento Ancyrano petiitum sit: eoque haud obscure Suetonium negligentiae arguit, qui illud *nunc* temere exscripserit, quod aut omittendum fuerit, aut in *olim* mutandum. Causa est haec, quod illud nemus, ante Neronis mortem, exaruit, ut ipse auctor est, in Galba c. 1, et Plinius in Hist. nat. XV, 30. Est autem imperiti potius compilatoris, quam diligentis et idonei historici, notas temporum temere retinere, et erroribus lectorum locum facere: cuius vel negligentiae, vel inscitiae, exempla, e barbaris scriptoribus, non sine iusta reprehensione, commemorat Pagius in Crit. Baron. Tom. III. p. 50. a. Quanquam in eo ipse Eusebius, Chron. Graec. p. 55. de templo Samaritano tradens, peccat, cum, scribit: ἐν τῷ ναῶ, τῷ ὑπὸ σαμαρειτῶν νῦν προσκυνεμένῳ, cum, multis seculis ante, a Ioanne Hyrcano destructum esset; castigatus propterea a Scaligero p. 426. a: sed fortasse et ipse deceptus, dum auctorem rei festinanter exscribit. Sed Suetonium ab istius negligentiae macula facile liberat cetera viri diligentia. Atque adeo ex hoc potius colligimus loco, etiam post ea, quam nemus illud interiisset, tamen nomen pristinum mansisse, ut *Caesarum nemus* diceretur: cuius generis non pauca, et veteris et nostri temporis, exempla extant. Maxime huc pertinet illud, quod est apud eundem Suetonium in Galba c. 1. ubi inter prodigia, quibus gentis Caesarum interitus denunciatus est, etiam gallinae in villa Caesarum interiisse memorantur: et tamen villae nomen pristinum a gallinis ductum mansit: ut *hodie quoque*, inquit, *ea villa ad Gallinas vocetur*.

ferta mentio iniicitur. Tum, quis dubitet, eum ceteras litteras publicas, quarum summam facultatem habebat, v. c. illud a Vespasiano, incredibili sumtu et diligentia, collectum corpus legum, SCtorum etc. quod pulcherrimum imperii instrumentum appellat, item epistolas principum (nam Augusteas crebro in partes vocat) inspexisse, ex iisque plurima repetiisse. Similia de Liuiio dicenda. Raro ille nominatim laudat publica monimenta: sed ex iis maximam partem historiae repetitam, cum eorum magnam facultatem haberet, si nulla alia, praeter illa tria millia tabularum aenearum, quae ad Vespasiani tempora mansere, suppeditarent, cum ratio iubet credere, vt postea dicemus, tum comparatio Liuianorum locorum cum monumentis iis, quae ad nos, tanquam tabulae de naufragio, peruennerunt. Nobile est SCtum de Bacchanalibus, cuius aeneum exemplar antiquissimum hodie in Vindobonensi Bibliotheca seruetur, saepe illud exscriptum typis. Sed, si quis id cum loco Liuii contendat, videat profecto, omnia sua, quaedam etiam iisdem verbis, inde duxisse. Vteremur hic etiam alio loco, de Paulo ad bellum Macedonicum proficiscente, eumque, totidem prope verbis, ex Actis descriptum, ostenderemus, si fragmentum illud Aetorum, apud Dodwellum, non pro spurio conuictum nuper esset a nostro Praefide, post Wesselingium V. C. Similiter, Eusebium Catalogos Episcoporum ex Ecclesiarum tabulariis confecisse, sine eo

C

rum

L. IV. 23.

L. XXXIX.

52. etc.

Suet. Vesp. 3.

L. XXXIX. 18.

L. XLIV. 22.

*ad H. E. V. 12.
conf. de anti-
quis Archiepis
Eccles. Auct.
Chron. Gott-
wic. T. I. L. II.
c. 1.*

rum mentione, recte monuit Valesius. Infinitum foret, si de omnibus priscis illis in hoc genere heroibus dicere vellemus. Ceterum, quoniam huius rei ignorantio multos, alioqui doctos viros, fefellit, ut, in iudicio de scriptorum fide, turpiter se darent: age rem, nondum ab aliis satis diligenter tractatam, pluribus persequamur, eiusque generis apud historicos, agnoscendi ac iudicandi, modum, difficultatem ac cautionem explicemus

XXI

Vt igitur iudicare possimus, an e litteris publicis hauserit is, de quo quaeritur, scriptor: primum videndum est, *an idoneam earum habuerit facultatem tum, cum ad scribendum animum adiungeret.* Ea res intelligetur, si viderimus, quo quisque tempore, et in qua ciuitate, vixerit, quo loco ac dignitate fuerit, quamque historiae partem scripserit. Quae qualia sint, planius exemplis, quam praeceptis, poterit ostendi. Initium faciamus a Liuio. Eum igitur, constat, vixisse Romae, eamque historiam, quae quidem reliqua sit, pertinere ad regia et libera ciuitatis tempora. Iam, illorum temporum monumenta publica plurima Liuio suppeditasse, dubitari non potest. Nam, ut ea mittam, de quibus supra dictum est, aenearum tabularum permagna copia in Capitolio patebat, quibus Leges, Plebiscita, S^Cta, formulae pacis, federum, proderentur, auctore Suetonio. Triumphantium porro

§. 10.

Vespas. 8.

porro ducum tabulae in Capitolio fixae prostabant, quibus victoriae suae titulos prosequerentur versibus Saturniis, ut tradit Atilius Fortunatianus; qui, eas a se visas, ait, etiam versibus inde prolatis: earumque exemplum restat apud Lium, ex eodemque versus apud eum, quem dixi, Atilium. Litterae porro publicae ab Imperatoribus missae, quibus omnis rerum gestarum ordo et ratio exponeretur, apud aerarium seruabantur: e quibus licebat res gestas planissime cognoscere. Acta etiam Triumphorum seruabantur eodem loco, unde promere in usus suos cuique liceret, ut et Plinio maiori, passim ex iis quaedam commemorante, intelligitur: non ea, ut Harduinus inscite existimabat, quae cum Fastis consularibus edi solent, fasti illi potius et catalogi triumphorum, quam acta; sed in quibus omnis triumphorum apparatus, copiaeque ex hostico allatae, ordine descriptae paterent, ut loca Plinii planissime declarant. Quae sunt omnia eiusmodi, ut cogant credere, Lium, qui in rebus, dissensu scriptorum dubiis, ad monumenta publica prouocet, in ceteris quoque, quae ex iis disci potuerint, sua repetisse, eique in his summam fidem habendam, omninoque, etiam hoc nomine, probandum Taciti de eo iudicium, qui, *fidei praeclarum in primis*, appellat. Iam Iosephus, quoniam Romae fuit apud Vespasianum in magna gratia, recte putatur, summam litterarum publicarum perlustrandarum potestatem habuisse, ex iisque

*in arte p. 268e
ap. Putschium*

XL. 52.

*v. Dio L. 53.
p. 509.*

*v. c. XXXVII,
2.
in indic. auct.
ad Plin.*

Ann. IV. 34.

que haussisse, quae aliunde non possent certo cognosci: praesertim cum esset Iosephus, qui nullam esse crederet historiam, quae non ex publicis commentariis ac monumentis ducta esset. Suetonio autem, quem scimus fuisse Magistrum Epistolarum apud Adrianum, quis dubitet, hanc facultatem fuisse? Seckendorffio, ut de nostris aliquem addam, cum scriberet historiam Lutheranismi, constat, aperta apud nos fuisse tabularia, et litteras publicas vndique aduectas, ut inde, quae essent eius historiae scribendae, depromeret

XXII

Neque tamen sufficit scire, scriptoribus litterarum publicarum inspiciendarum copiam fuisse: sed illud etiam cognitum debet esse, *iis publicorum monumentorum indagandorum conquirendorumque studium ac diligentiam non defuisse*. Id non modo rebus ipsis iudicatur, cum videmus, eos talia documenta crebro in testimonium vocare, sed etiam ipsorum auctorum, aliorumque, quibus cognita illorum ratio fuit, praedicatione. Quis enim v. c. in Thucydide, Polybio, Liuiio, Suetonio, atque, e nostris, Sleidano illam curam non credat fuisse, his ipsis causis, aut vniuersis, aut singulis, commotus? Nam Thucydides quo magis posset, res gestas vere tradere, plurimum et temporis, et pecuniae, in iusto apparatu conquirendo, impendisse, constat. Polybium autem, scimus, non modo per Scipionem Africanum impetrasse, ut, quicquid monimen-
torum

*Plutarchus de
Exil. p. 605.*

torum in Capitolio seruaretur, excutere, et iure suo
 uti posset: sed etiam, per Italiam, antiqua monumenta
 conquisiuisse, atque ibi in tabulam aeneam, ab Hanni-
 bale, cum in Italia esset, scriptam, incidisse, quae rerum
 ab Hannibale gestarum seriem contineret. De Liuiio *L. III. c. 33.*
 et Suetonio ante dictum est: item de Dione Cassio: cu- *extr.*
 ius laudatus supra locus manifesto indicio est, ea, quae *S. 17.*
 superioribus libris tradita sint, e commentariis ac litte-
 ris publicis maxime deriuata esse. Suetonium quidem,
 etiam statuarum titulos inspexisse, ut inde apparatus
 historiae congereret, argumento est locus in Galba; *c. 2.*
 ex quo omnes Galbae statuas lustratas ab eo et inspe-
 ctas intelligitur. Sleidanus autem ipse de se vere scri-
 bit: *Nihil ex vano quicquam hausi, vel auditione leui,*
sed scribendi materiam mihi suppeditarunt acta, quae stu-
diöse collegi, de quorum fide nemo dubitare potest. Tum
 Burnetius, elegantissimus rerum Britannicarum auctor,
 hac imprimis dote suum opus vult censerī ac probari.
 Atque similiter de aliis cognoscere licebit ac reperire

XXIII

Quod si nihil tale suppeditet, cuius quasi vestigiis
 istam rem tenere possimus, atque intelligere, an, quae
 tradiderunt, ex monumentis publicis hauserint, nec ne:
 iuuabit comparare scriptores cum numis, inscriptioni-
 bus, aliisque monumentis publicis, adhuc restantibus,
 quae quidem ad ea tempora pertineant, quorum res
 scripserunt. Quibuscum, si, quae prodita sunt ab hi-
 storico,

storico, consentiant, probabile fit, reliqua etiam, quae
 quidem eiusmodi sint, vt litteris publicis ac monimen-
 tis soleant consignari, ab iisdem fontibus ducta esse.
 Etsi non magnopere indiget res exemplorum luce:
 tamen non pigebit, ex antiquis quaedam commemora-
 re, praeter ea, quae iam supra de Liuio et Suetonio
Ner. 25. attulimus. Suetonius Neronem dicit amore citharoe-
 dicae artis etiam statuas suas citharoedico habitu fa-
 ciendas curasse, eademque nota etiam numos percus-
 sisse. Id planissime consentit cum numis Neronis qui-
 busdam aeneis atque aureis. Idem, Galbam, dicit, vs-
 que ad imperii tempus, *Lucii* praenomen, pro *Seruii*,
r. 4. vsurpasse. Ecce inscriptio Consularis extat apud Mu-
T.I.p.CCCIII. ratorium, in qua id praenominis reperitur: vt appa-
 reat, id Suetonium e monumentis publicis didicisse, fru-
Crit. Bar. T.I. straque fidem in eo detrahi a Pagio, quasi in litteris pu-
p. 28. blicis non vsurparit hoc praenomen Galba, neque adeo
 in Fastos Consulares sit recipiendum, vt Norisio place-
 bat. Innumera huius generis exempla referre vel ex
 vna Augusti vita possemus, reperta a nobis, cum hor-
 tati Praesidis nostri, materiam historiae Augusti, su-
 periori anno, ex inscriptionibus, numis, et aliis resi-
 duis monumentorum publicorum fragmentis, conge-
 reremus. Huiusmodi comparatione etiam de Dione
 Cassio intellectum est, diligenter eum talia monumenta,
 in scribenda historia, consuluisse, aut saltem eos ple-
 rumque secutum esse auctores, qui inde profecissent:
 nam

nam non ignoramus, eum in rebus Traiani parum dignum fide, minusque idoneos auctores secutum, iudicari a Dodwello

Prael. Cambd.
p. 286.

XXIV

Sed quoniam in hoc iudicio, aliquoties diximus, rationem habendam esse rerum ipsarum, ut eae, quae e monumentis publicis hauriri potuerint, discernantur ab his, quae aliunde sint petitae: de hoc quoque circumscriptius dicendum videtur. Et illud quidem supra ostendimus, prudentissimum quemque et cultissimum populum res eas publicis litteris prodere posteritatis memoriae instituisse, quarum scientiam posteris, putaret, vel necessariam, vel utilem fore. Sed quoniam non omnes populi eadem, in eo genere, ratione sunt usi, relictis omnibus, cognoscendi sunt populi cuiusque mores et instituta, ut scias, quod genus rerum hac sua cura sit complexus. Id si constiterit, facile poterit in scriptoribus iis, quos, ex indiciis propositis, cognouimus, e publicis litteris profecisse, iudicari, quid inde petitum sit. In quo etiam temporum ratio debet haberi. Nam alii tardius aliis hoc fecere, aliisque temporibus vel frequentius, vel rarius, aliis. Optime res intelligi poterit exemplo Romanorum, de quorum in eo genere institutis supra dictum est. Er. §. 17. go, cum, ut hoc utar, Suetonius ait, *Saluos ab Claudio in numerum Patriciorum esse lectos: intelligetur, id eum accepisse ex Actis.* Vbi porro natales, vel diem

v. Dodswell.
Prael. Cambd.
p. 185.

Ep. XV. 1. 2.

diem mortis alicuius illustris ac principalis viri tradit, aut ex iisdem petitem dicemus, si in tempora ea aetas eorum inciderit, quibus Acta fieri consuevere, aut e matriculis, quibus publice Romanorum ciuium natales et mors consignari solebant. Admirabilis est Romanae historiae scriptorum, Polybii ac Liuii, diligentia in describenda proelii cuiusque magni et illustris acie, commissione, conflictu, progressu, variisque inclinationibus, ac denique euentu: quod, historia scribenda, non modo ciuilis, sed etiam militaris artis ac prudentiae studiosis consulere volebant. Earum descriptionum igitur multas arbitror e litteris petitas, quas Imperatores publice ad Senatum P. Q. R. mitterent, quarum exemplum est apud Ciceronem. Id secus est apud Graecae historiae scriptores, v. g. Thucydidem, qui quidem ipse narrat, se ab ducibus res gestas, atque adeo ea, quae dixi, accepisse. Nam apud Athenienses tales litteras scriptas seruatasque esse non reperi

XXV

l. 23.

Atque etiam *modis loquendi ac scribendi*, apud diligentes scriptores, *discerni hausta e talibus fontibus a ceteris, vndeunque acceptis, possunt*. Tamquam, Suetonius in Nerone, cum rem certam ex litteris ipsius Imperatoris retulisset, deinde statim, aliam incertam additurus, scribendi genus mutat, atque, *dicuntur*, ait. Similis est Liuii locus. Cum narrasset, ex annalibus haud dubie magnis, quid Consul Paullus in Curia, in concione,

concione, egisset, itemque de eius, post Latinas, in
 prouinciam profectio, addit: *traditum memoriae est*,
 maiore, quam solita, frequentia prosequentium Confu-
 lem celebratam. Quid Liuius, hac veluti nota, *tradi-
 tam memoriae*, addita, indicare voluit, nisi, non ex iis
 fontibus ista ducta, vt eandem, quam superiora, fidem
 mereantur? Atque his similia multa in bonis historicis
 antiquis diligentes lectores animaduertent

XXVI

Sed illa scriptorum cum monumentis publicis con-
 tentio multas habet *cautiones*. Nam, primo videndum
 est, ne conficta pro veris ac genuinis probemus, neue
 iis inducti labefactare conemur fidem scriptorum, quos
 alioqui scimus, publicis litteris ac monumentis vfos esse.
 Accidit tale quid Suetonio, qui cum, primum Caesa-
 rem instituisse, scribat, vt Acta senatus fierent, ac pu-
 blicarentur, Graeuus, noto illo actorum senatus frag-
 mento deceptus, Suetonii fidem, aut saltem integri-
 tatem, in dubium vocauit; cum illud fragmentum mul-
 ta fraudis argumenta habeat. Illud ipsum potius ad-
 monere virum doctum debebat de fraude fragmenti,
 quod Suetonius, qui Acta senatus in manibus habuit, a
 Caesare demum illa instituta dicat

Caes. 20.

XXVII

Quanquam etiam est, vbi ne vera quidem moni-
 menta contra tales auctores sunt audienda. Nam fieri
 interdum solet, vt, cum monumenta publica conficiun-
 tur,

D

tur,

tur, aliarum rerum mentio iniiciatur, quae ad id, quod consignari debet, proprie non pertineant; quae sane non statim, fide publica tradita, debent videri. Extrat etiamnum titulus antiquus, non ille quidem in arcu triumphali Titi, vt Balduinus habet, sed publice tamen scriptus, ob victos Iudaeos captamque Hierosolymam. In eo Titus dicitur Hierosolymam deleuisse, *omnibus ante se ducibus, regibus, gentibusque aut frustra peritam, aut omnino intentatam.* Id falsum esse, nemo dubitet, aut hinc fidei Iosephi, aliorumue, controversiam moueat. Neque vero ea pars tituli auctoritatem monumenti publici potest habere, cum ad eam rem, quae tum acta et praedicanda erat, non pertineat, sed tantum, ornandi facti causa, per adulationem, accesserit. Itaque non debebat Balduinus hoc nomine ridere eos, qui Inscriptionibus aliquid tribuant. Quanto rectius Palignescus monet, in talibus litteris, in edictis, diplomatibus, discernenda esse elogia, et ea, quae cum re summa non sint necessario coniuncta, neque illo tempore gesta, a capite diplomatis, hoc est, ea re, quae tum recens acta consignaretur: in eoque recte reprehendit stemmatis Carolino-Boici auctorem, qui, in asserenda Domus Bauaricae a Carolo M. origine, vsus erat decreto principum electorum, quo Ludouicus IV. Bauarus Imperator creatus est: in quo is a Diuis Regibus ortus dicitur, quos Carolingos interpretabatur. Ista vero honoris causa, vt fit, ex vulgari aliqua opinione,

Inst. Hist. p. 68.

Panvin. Fast. L. V. p. 477. Grat. p. CCXLIV.

Monit. Geneal. p. 215.

nione, addita, non ipsum decretum eiusque causam continent, neque publicae fidei vim assequuntur, quam cetera, quae, de Ludouico legitime creato, dicuntur, iure obtinent. Quare, si in hoc monumentum publicum pugnet cum scriptore quodam, iniquum sane sit, monumenti publici auctoritatem ad fidem illius infringendam adhibere

XXVIII

Atque etiam genuina interdum monumenta, cum scriptoribus, publicam fidem secutis, pugnare videntur: idque hoc minus mirandum, quando ea ipsa interdum inter se videntur pugnare. Inter Augusti numos reperiuntur, qui in nomine *parris patriae* vehementer cum nobili illa, de hoc nomine, inscriptione pugnant. Nam in hac decretum S^cto Patris Patriae nomen alligatur a. V. DCCCLII: qui est Tribunitiae potestatis XXI. Numi autem extant superiorum iam annorum, in quibus ei hoc nominis tribuitur: Sed, ut in his non ita iudicant docti viri, ut alterum monumentum propterea statim pro spurio reprobent, sed eam dissensionem commoda, si possunt, interpretatione tollunt, ut in illo Spanhemius*) et Perizonius**) fecere: qua ratione etiam eadem illa inscriptio cum altera, apud Gruterum, CCXXVI. 4. quae anno Trib. Pot. V. Augustum iam Patrem P. appellat, conciliari, potest, sine emendatione Casauboniana

Grut.
CCXXVI. 2.

D 2

niana

*) T. II. de V. et P. N. p. 446. **) Animadu. Hist. p. 313. sqq.

ad Suet. Aug. niana: sic, cum monumentum aliquod genuinum pugnat cum scriptore, quem scimus e publicis litteris scripssisse, non statim aut scriptori fides detrahenda, aut monumentum vel emendandum, vel plane repudiandum, sed videndum, si forte legitima interpretatione vtriusque fides stabiliri possit. Exemplum e Suetonio petemus. Vespasiano patri et numi et inscriptiones nomen Patris Patriae et Trib. Pot. statim ab initio imperii tribuunt: Suetonius vero vtrumque ferius ab eo receptum tradit. Hic magnopere erret, qui, eius dissensus causa, Suetonium non agnoscat idoneum auctorem. Nam, in numis et inscriptionibus, adulatione vtitata tribuit ei vtrumque sine decreto senatus, non ipse sibi adscribit. Suetonius autem verbis, *fero recepit*, indicat, saepe vtrumque delatum, tributumque, vt Scto fieret, fero demum passum esse. Atque ita salua est Suetonii fides. Omnibus enim temporibus hic mos fuit, vt, quae Principibus vel deberentur, vel deberi putarentur, ea homines ipsis, vel pietatis, vel honoris causa, tribuerent: etsi, proprie si vellent loqui, tribuere non deberent. Henricum aucupem passim a scriptoribus, etiam in chartis priuatis, vocari *Imperatorem* legimus: Conradum Ietiam in nota inscriptione Goslariensi. In Diplomatis contra suis Reges tantum se appellant: recteque iudicat auctor Chronici Gotvicensis, istum stilum oratorium esse magis priuatorum, quam publicum aulicorum.

XXIX

Ceterum, quam difficile sit intelligere, an, et quae hauserint scriptores e monumentis publicis, facile perspicitur ex ipso illo rei huius iudicandae modo, et cautionibus. Nam quanti laboris ac doctrinae est, quae traduntur, cum inscriptionibus, tabulis antiquis numis, diplomatibusque cuiusque aevi, comparare. Si quis, ut hoc utar, de scriptoribus rerum, inde a Constantino M. ad Iustinianum usque gestarum, velit iudicare, eorumque fidem examinare: praeter numos, Codicem utrumque, Theodosianum et Iustinianum totum debet cognovisse atque excussisse: quod quantae eruditionis, quantique laboris sit, quis non intelligit? Quantae autem diligentiae est, in legendo agnoscere verborum notas, quibus scriptores ea, quae publica fide tradita accepissent, a ceteris distinguant? Quanti porro acuminis putemus esse, utrum genuina monumenta sint, nec ne, videre; quod est hominis longe doctissimi, et in arte Critica exercitatissimi. Nam est fraus, in eo genere, haud facile ita callide tegitur, ut non veritas multa sui vestigia praebeat: tamen exempla doctissimorum virorum, neque solum veteris aevi, quo, ut aiunt nostrae aetatis praecones, ars Critica nondum satis erat exulta, sed etiam recentioris, qui sibi fucum fieri passi sunt, tum disputationes nuperae de diplomatibus fide, satis arguunt rei difficultatem.

XXX

Quae sit fides litterarum publicarum, eorumque scriptorum, qui iis in scribenda historia sunt vii, cum satis dictum videatur, iam ad alterum genus veniamus, quod erat eorum, qui rem necessario sciebant, et vere dicere volebant, eorumque, qui ab his sumserunt. Ac primum quidem illud, qui rem necessario sciant, nullam habet magnopere difficultatem. Planum enim est, esse hos, quos, constet, res gessisse, fecisse, rei gestae praefuisse, aut consiliis interfuisse ita, ut planissime cognoscere totam rem potuerint. Neque enim simplex praesentia in omnibus rebus sufficit, ut eas penitus scias: tanquam in proeliis, iisque rebus, quae a pluribus, diuisis locis ac partibus, partisque operis, geruntur: in quibus necesse est, ut praesens consilio ac potestate; unde fit, ut plures, qui eidem rei interfuerunt, non

Thucyd. l. 23. eodem modo narrent

XXXI

Scriptores vero iis, quae tradant, ita, ut diximus, affuisse, aut ab istis sumfisse, qui rem recte scirent, pluribus signis intelligitur. Primum, ipsorum de se testimonio, si nulla idonea subit suspicio vanitatis. Ex quo genere est illud, quod Thucydides, se, dicit, narrare, quibus ipse interfuerit, et ab aliis, quam potuerit accuratissime, inuestigarit. Ex eodemque fonte Arriani, de rebus Alexandri scriptoris, fides ducitur; qui, *Proöm. l. I.* se, dicit, sua hausisse e Commentariis Ptolemaei Lagi, et

et Aristobuli, Ducum Alexandri: tum Iosephi, belli Iudaici auctoris, cuius insignis est, in libris contra Apionem, de fide sua, locus. Eadem res tenetur, cum *L. I. c. 9. 10.* ipsis alii idonei auctores eius rei testimonia perhibent. Sed multum etiam in eo iudicio valet rerum ipsarum natura, consuetudines populorum, instituta, mores, legesque, tempus ipsum, multa denique alia, quae facilius in singulis intelligi, quam vniuerse commemorari possunt. Senatus, ut hoc utar, Romanus optime et certo poterat scire, quid esset in bellis actum, cum, ex Imperatorum litteris, omnia referrentur ad Senatum. Neque est, ut, in eo fraudes facile intercessisse, credamus. Nam in ipso Senatu nemo erat omnino rudis rei bellicae, plurimi autem longe peritissimi, qui ipsi exercitiis praefuissent: quos fallere non ita facile erat, cum praesertim litterae etiam priuatae ab exercitu Romam venirent, e quibus fraus cognosci posset, nulla tum silendi necessitate proposita. Neque credulus in bonam partem erat senatus: sed, quacun- que suspicione fraudis oblata, legati rerum periti ad res inspiciendas missi, a quibus vera acciperet. *) Ex quibus fit, ut, quemcunque sciamus senatorem, aut pluribus senatorii ordinis familiarem fuisse, cum recte credamus, res bellicas illorum temporum scire potuisse. **Belli Punici III.**

Histo-
*) *Liv. XLIV. c. 18. Appian. Pun. p. 60.*

Historia Polybii fidem hinc ducit; fuit enim familiarissimus Scipioni: Sallustii Catilinae coniurationis acta; fuit enim tum Senator: Sleidani porro historia in rebus, in Comitibus de religione, actis: fuit enim familiarissimus Iac. Sturmio, qui iis adfuit legati nomine. Ac nescio, an inde quoque stabilitatis aliquid accipiat, de Cyri historia, Xenophontis opus, maioremque Herodotea, de eodem Cyro, narratione. Xenophon res Cyri in Asia gestas potuit accipere ab Ionibus Asiaticis, qui res Cyri non videntur ignorare potuisse, quod in illis regionibus aliquamdiu vixit. Sed hoc ei est cum Herodoto, Ionicae originis homine, commune. Xenophontem autem potiore facere videtur illud, quod constat, eum familiarem Cyro Iuniori, multisque illustribus Persis, eius partes sequentibus, fuisse, a quibus multa de rebus eius familiae discere potuit, forte etiam commentarios quosdam regios, quos diligenter confici solitos fuisse, supra vidimus, accepit, unde proficeret

XXXII

Sed difficile maxime et lubricum iudicium merito censetur, cum quaeritur: *num rem vere scriptores, atque ita dicere voluerint, ut viderant, atque acceperant.* Tam instabiles enim variique sunt animorum motus, ut in iis nihil certi constitui possit. Etenim interdum, inani aliquo timore, amore, alioque quo, alias probabilis motu impulsus, verum relinquunt, veri alias maxime amantes. Itaque, quae in hanc partem dicuntur, ut aliquis

aliquis verum dicere voluisse putetur, saepe ultra leuem probabilitatem non assurgunt. Est tamen in hoc iudicio ratio alia subtilior tutiorque alia. Atque illa quidem omnium maxime fallax est, et prope tota repudianda, cum, e vulgaribus de hac re praeceptis, quaeritur, quam quis bonus vir, quam amans veritatis, fuerit? quanquam id non omnino, si certo, quod raro contingit, potest cognosci, negligi velimus. Sed multo magis proderit, patriam cuiusque, aetatem, formam reipublicae, in qua quis vixit, mores patriae, et alia eiusmodi in consilium adhibere, vt certi aliquid statuere possimus: de quibus hic pauca dicemus

XXXIII

Non tam ingenerantur hominibus mores, vt Cicero ait, a stirpe generis ac seminis, quam ex iis rebus, quae ab ipsa natura loci et a vitae consuetudine sup- *Agrar. II. 35.* peditantur, quibus alimur, et vescimur. Campani semper superbi, Ligures duri et agrestes, Carthaginenses fraudulentis et mendaces reperti: vt, si Punicos Punicorum bellorum scriptores haberemus, vel patria eos suspectos faceret. Quo magis mirandum est, nondum ab omnibus repudiatam esse Vayerii stultitiam, qui longe aliter de Punicis bellis nos existimatos, si Punicos de iis scriptores haberemus, putabat, fidemque Punicam, etiam prouerbio infamatam, Romanae praeferebat. Temporibus porro aliis populus quidam integer est, et simplex, vanaeque gloriae

E
contem-

contentor: aliis omnia in contrarium mutata certuntur. Itaque multum refert, videre, qui mores populi fuerint, ea aetate, quae rerum scriptores tulit. Recte etiam maior habetur auctoritas eorum, qui dimidio seculo post res gestas, quo tempore ardor animorum conquieuit, scripserunt, cum nihil ipsis esset metuendum, neminem haberent, quem odio atque ira prosequerentur, faciliusque sibi a cupiditatis et amoris insidiis cauerent. Forma etiam ciuitatis scribentium animos mirifice in veramque partem afficit. Alia enim libertatem in scribendo extinguit, alia incendit: in alia nascitur adulatio, in alia opprimitur. Populi potentes ac liberi fere sunt in sentiendo et dicendo fortes, veri amantes, neque quicquam fraudi, aut iactantiae tribuunt, quam virtus et vera potentia superuacuum facit: alii contra, vel diuturna seruitute, vel quaestus amore, timidi, pusillis animis, nihil liberum spirantes, ostentatores potius rerum magnarum, quam auctores. Atque, ista quam vim in fidei iudicio habeant, ad Romanos transferendo, videamus, atque ita Romanos, de suis rebus scribentes, aduersus recentiorum inanes criminationes, defendamus.

XXXIV

Nempe Vayerius, aliique, qui veteres e nostris, in primisque Francicis moribus, fingunt, libenter Romanos scriptores, maximeque Liuium, ita accusant, vt, eum, dicant, res Romanas iusto plus augere, peccata

cata autem et clades eorum occultare, hostium denique res praeclare gestas verbis extenuare. Quae, si ad ea, quae diximus, exigantur, facile inanissima veritatis reperientur. Nam Liuius, ut vidimus, ex monumentis publicis, eaque ubi deficerent, ex antiquis, fereque aequalibus cuique rei, scriptoribus hausit*). Hi autem iis admodum scripsere temporibus, quibus nondum arrogantia illa et vanitas inualuerat. Non enim opus habebant iactantia, qui veris splenderent decoribus, iisque tantis, quantis, oranium confessione, nulla alia natio emicuit. Nondam occultandorum peccatorum, aut male gestarum rerum cladumque acceptarum, studium inuaserat: sed omnia peccata cladesque facile agnoscebantur, publice praedicabantur, ferebantur etiam, atque condonabantur, cum facile emendari possent. Dicendi finem non reperiremus, si omnia eius generis loca ex vno Liuiio vellemus commemorare. Itaque pauca attigisse satis habebimus. Primo, belli Gallici, in quo vrbs Romana deleta est, causam diserte confert in Romanos legatos, eosque ferociter nimis et contra ius gentium egisse, fatetur. Quam candidè deinde clades, et illo ipso Gallico, et Punicis bellis, acceptas, et ipse, et Polybius, item peccata Claudiorum, Scipio-

E 2

*) Ego, praeterquam quod nihil haustum ex vano velim, quoniam nimium inclinant ferme scribentium animi, Fabium aequali temporibus huius belli potissimum auctorem habui XXII, 7

num, Semproniorum, Flaminiorum, Varronum, aliorumque referunt? Quid? non parem integritatem Liuius, in bello Macedonico, quod cum Perseo gestum est, probat? Quam abhorrens porro a nostris moribus est ille candor, primo Romani senatus, quod, cum clades ad Lacum Thrasymenum permagna accepta esset, hominesque Romae, re-per famam accepta, concurrissent in forum, Praetor, non abigit homines tacere iussos, aut rem minuit, sed, iussu senatus, progressus in tribunal, publice dicit: *Pugna magna victi sumus*: deinde ducis Romani, Terentii Varronis, qui cladem, temeritate sua acceptam ad Cannas, ad senatum planissime, nihil minuens, perscribit. Nec mirum, Duces ita candide fateri clades acceptas, cum nulla alia, nisi gloriae fortasse aliqua, iactura proposita esset, aliis rebus reparanda. Post calamitatem quidem Cannensem Consuli Terentio ex tanta clade, cuius ipse causa maxima fuisset, redeunti et obuiam itum frequenter ab omnibus ordinibus est, et gratiae actae, quod, post tantam cladem, de republica, hoc est, bello contra Hannibalem porro gerendo, non desperasset. Tantis Romanae ciuitatis animus erat! Nempe, hic quondam, vt idem Liuius ait, Romanorum mos erat, in aduersis vultum secundae fortunae gerere, moderari animos in secundis: quod facere licet, in fiducia virium. In ciuitate ergo, quae tales animos habeat, quae ita se semper gesserit, quid opus, res bene gestas augere, aduersas

XXI. 60.
XLIV. 23. 16.

XXII. 7.

XXII. 56.

XXII. extr.

XLII. 62.

aduersas minuere? aut quam gratiam ineat scriptor, si tale quid faciat? Qua autem re commississe Liuium dicamus, vt, in Romanis rebus secundis aduersisque tradendis, nimium fauisse patriae dicamus, quae talem fauorem non desiderauit? Atque etiam si sub Imperatoribus ingenia, vt sit in imperio monarchico, ad adulationem inclinabantur, tamen nondum omnis illa antiqua grauitas oppressa erat, libertasque scribendi mediocriter ferebatur. Itaque vere libereque de ipsis Imperatoribus, atque de statu reipublicae superiori, scribere licebat. Vnde videmus, Imperatorum vitia et scelera summa integritate ac libertate a Tacito et Suetonio notari: Lucanum vero et Suetonium non vereri, Pompeianas partes, quae libertatem defendissent, probare

XXXV

Sed ad aliud agnoscendi veritatis studii genus veniamus. Id tenetur genere scribendi et quidem dupliciter. Primo simplicitate quadam, modestia et aequabilitate orationis: quae exprimat et indicet animum, ab omni vanitate et cupiditate, odio, adulatione, aliisque, quae sunt veritatis vel peruertendae, vel occultandae, liberum. Itaque in omnibus iis historicis, de quorum fide constat, Thucydide, Polybio, Liuiio, Suetonio, aliisque, haec orationis forma reperitur. Quod contra est in iis, qui ostentationis causa scribunt, aut animi cupiditatibus indulgent. Quare scriptores eos, qui in de-

de scrib. Hist.
c. 57.

scriptionibus regionum, urbium, fluminum, in quibus flores orationis consumi in primis possunt, copiosiores, ornatioresque sunt, merito suspectos habemus, iudicamusque, eos maiorem ingenii laudis consequendae, quam veritatis, curam habuisse. Lucianus quidem recte praecepit scriptori historiarum, qui fide dignus haberi probarique velit, ut tales res, ubi perspicuitas desideret, tantum attingat, earumque quasi viscum omni modo defugiat. Ex eodemque genere sunt hi, qui rerum admirabilium commemorationem affectant: quod ea quoque res ad voluptatem magis, quam veritatem et utilitatem, legentium pertinet. Neque veritatis studium agnoscimus in iis, qui in laudando, reprehendendoque copiosi ac vehementes reperiuntur, eosque amorem, adulationem, odium iramque potius secutos putamus. Itaque vel ex hoc intelligitur, Velleii in rebus Tiberii adulatio, et veritatis neglectus, quod ab illa simplicitate, quam in reliqua operis parte reperiimus, ad res Tiberii delatus, discedit, et laudes eius oratorie persequitur. Theopompus vero, quod in reprehendendo vehemens et creber esset, iudicatus est, accusare potius, quam narrare: etiamsi constabat, multum pecuniae in veritate inuestiganda consumis-
Hinc etiam Dioni, in rebus Ciceronis, parum fidei tribuimus, quia accusatorio saepe scribendi genere utitur: eandemque ob causam Zosimi et Epiphanii fides suspecta est, quod ille in rebus Christianorum, hic
autem

*Lucianus de
scrib. hist. c.
50. et ibi
Solanus.*

autem in haereticorum placitis commemorandis, acerbis, et reprehendentis magis, quam narrantis more, scribit

XXXVI

Sed veri dicendi studium agnoscitur etiam *diligentia quadam in scribendo*: cuius haec est ratio, ut verbis, et modo narrandi, discernantur certa ab incertis, et fama tantum acceptis: quae diligentia, ut supra demonstraui-
mus, agnoscitur in Suetonio; qui modo loquendi eo vititur in narrationum initiis et clausulis, ut ex ipsis verbis certa ab incertis distingui possint. Simile est illud Livi, quum post tradita e litteris publicis, alia relatu-
XLIV. 22.
rus minus certa, ita incipit narrationem: *traditum memoriae est*: cuius generis permulta sunt apud eundem.

Arrianus porro, commemorata re, certis auctori-
L.II. p. 114. 115.
bus comperta, additurus incertae rei narrationem: *Τάυτα μὲν*, inquit, *Πτολεμαῖος καὶ Ἀριστοβελος, λόγος δὲ ἔχει* etc. *traditur* vero etc. et tandem: *καὶ τὰυτα ἐγὼ, ἕχ' ὡς ἀληθῆ, ἔρε ὡς πᾶντι ἀπιστοῦ, ἀνέγραψα.* Atque haec ego non pro certis, sed non omnino incredibilibus, commemoravi. Atque ut intelligatur, quantum interfit inter diligentiam istam, et aliorum in eo genere negligentiam, Diosdorus Siculo eandem rem pro certa tradit
L.XVII. p. 510.

XXXVII

Qui rem necessario sciunt, aequales sunt rei gestae temporibus: omninoque aequalibus omnibus est commu-
ne, ut potuisse res gestas scire videantur. Inde fit, ut multi

multi in vniuersum summam fidem tribuant ei scriptorum generi: in quo magnam incitiam produunt. Neque enim ad fidem faciendam simplex et vniuersa possibilitas sufficit, qualis est ista, quae ab sola temporis aequalitate ducitur. Atque si ea ratio valeret, vt aequales scriptores, qua tales, in omnibus rebus fide dignos putare liceret, interdum in iis quoque rebus fides ipsis tribueretur, quarum cognoscendarum nullam idoneam ipsis fuisse facultatem pateat. Qua de causa angustius cohibendum est illud de aequalibus scriptoribus praeceptum, intelligendumque, eius vim omnem esse metiendam iis, quae supra de fide dignis auctoribus praecepimus. Nempe, vt a monumentis ac literis publicis discedamus, si aequales rerum auctores erunt tales, quos constat, rem aut ipsos gessisse, aut rei gestae interfuisse, vt cognoscere planissime possent, quique adeo necessario verum sciant, verbo ii, quos supra descripsimus, aut qui ex his, monumentisue publicis, didicerint: de iis valet vtique praeceptum, sed ex iis, quae ante demonstrata sunt: neque in his tam aequalitas temporis, quam necessitas scientiae, spectatur

§. 37.

§. c.

XXXVIII

Maxime autem in hoc genere videndae sunt res ipsae, earumque communis natura. Multae enim res, quibus de causis susceptae sint, quomodo, quibusue artibus, tractatae, quomodo gestae, quemque adeo euentum habuerint, non vulgo ad omnium scientiam perue-

peruenire solet. Quaedam autem sunt eiusmodi, vt earum scientia omnibus, qui in eadem republica uiuant, communis esse soleat, eaeque propemodum non possint ignorari: cuius generis sunt, principes, eorumque nomina, coniuges, liberi, habitus corporis, quotidiana uiuendi consuetudo, bella suscepta, eorum uiriferorum euentus, aliaque similia his. Iam, quis non intelligit, in illo rerum genere parum ad fidem proficere, qui aequalitatem auctoris in se laudent, et reliqua illa, quae diximus, accedere debere? tum, aequalem earum rerum scriptorem non esse maioris auctoritatis, quam qui posteriori aetate vixerit, si constet, hunc e monumentis publicis sua hauisse, aut ex aliis idoneis scriptoribus? In altero vero rerum genere, est profecto confitendum, hac ipsa de causa, quod aequales sint scriptores, si nihil sit, quod suspicari faciat, verum dicere noluisse, quod rarissimum est in eo genere, dignos fide putari debere, iisque praefereandos esse posteriorum scriptorum, qui tales res de fama scribant.

XXXIX

Saepe autem accidit, vt ea, quae diximus, fidei signa aut non compareant, aut ambiguitatis aliquid habeant. Id cum fit, solet etiam consuli *natura ipsarum*, quae traduntur, *rerum*, atque inde repetitur vel confirmandae, vel euertendae fidei ratio. Hunc locum Palignus quoque in disputatione, de dissensionibus scriptorum *p. 34. l. c.*

certe absolute, tractavit. Itaque non poenitebit, de hoc capite explicatius agere

XL

In hoc ergo possibilitatis iudicio, relictis omnibus, cauenda est, et penitus repudianda Philosophorum, vti se vocant, quorundam, inprimisque Vayerii, Baeliique temeritas summa, qui, quicquid vulgaribus Philosophiae praeceptis, aut potius opinionibus suis, aut nostris moribus, non satis conuenire deprehendunt, id *αδύνατον* numero censent, pro fictoque repudiant, etiam si certissimis litteris ac monumentis sit testatum. In quo ita ieiuni saepe numero reperiuntur, vt satis ridere non possis. Sed pluribus hoc genus confutare non est necesse, cum egregie iam a Perizonio sit factum. Baelius quidem traditur, paullo ante mortem, scripsisse libellum, quo ostenderet pluribus rationibus, fieri non posse, vt verum sit, Francicas apud Hochstadium copias victas esse. Is libellus, si de vera Baelii sententia scriptus fuit, ridiculus sane merito videatur; sin, ingenii modo exercendi gratia, habet ista quidem res plus excusationis: ceterum intelligitur certe, si quis velit ratiunculis quibuscunque moralibus et politicis, in hoc iudicio, confidere, nihil esse tam certum, quod non labefactari, conuellique, et ad *αδύνατον* redigi possit

XLI

Sed age, *praecepta* proponamus, ad quorum normam *possibilitatis* iudicium dirigatur. Primum itaque

Or. de Pyrrhonismo histor.
p. 142.

res, de qua quaeritur, cum eo genere rerum, cui subest, comparetur, ut videamus, an eius indoli repugnet, nec ne. Genus autem intelligendum est, non vniuersitate philosophica, sed paullo crassiori, in qua etiam cuiusque populi indolis, temporum, locorum, morum, legum, institutorumque ratio habeatur, sine quibus hoc genus causarum nullo modo, nec intelligi, nec iudicari potest. Neque enim in talibus causis quaeritur de possibilitate rei vniuersae, sed rei certae, quae certis temporibus, locisque accidisse dicatur. Existerque hoc, ut quaeratur, an res habeat ea, sine quibus intelligi, tali tempore ac loco, non possit

XLII

Sed in iudicio, ad huius praecepti rationem, faciendo, plurimum iuuabit experientia, atque vsus, vnde notentur et colligantur ea, quibus genus quodque singulis aetatibus ac locis constituitur. Id adiumentum, si vel nostra, vel temporum culpa, desit, in locum eius succedat scientia historica, quae est vsus et experientiae vicaria, in primis in rebus antiquioribus, quarum vsum habere nullum, nisi ex historicis, possumus. Sed scientia illa, quam diximus, historica debet esse eiusmodi, ut, quibus quasi partibus res quaeque contineatur, teneamus. Valde etiam ad hanc iudicandi facultatem acuet nos diligens lectio eorum, qui criticas in hoc genere disputationes scripsere: non illi quidem ex illo Vayeriano et philosophico genere, sed,

qui iis, quae diximus, adiumentis subleuati, ad facultatem eleganter de talibus rebus iudicandi peruenerunt

XLIII

Sed superiori illi praecepto quodammodo coniunctum est alterum, ut *rem, in disceptationem adductam, cum reliqua rerum serie comparemus, atque, num ei conueniat, nec ne, videamus.* Series autem rerum, cuius est ea, de cuius possibilitate quaeritur, veluti articulus, duas quasi habet partes, quibus illud membrum vtrinque aptum est, et nexum. Altera pars inest in rebus antegressis, in quibus quasi semina rei latent, ac causae. Sed ea pars plerumque habet plurimum obscuritatis, eaque iudicium hoc valde lubricum facit: propterea, quod saepe paruis momentis maximae ac vix credibiles inclinationes fiunt. Maior vis est in parte seriei altera, quae rem propositam est secuta, et inest in euentis, quae rem quamque consequi solent. Ea si non repugnent, res possibilis: si contra fit, *admiratos* recte iudicatur. Rudolphus I. Italicis quibusdam ciuitatibus libertatem dicitur vendidisse. Id Palignesius recte iudicat esse confictum, quod eae Adolpho, successori, tributum reperiantur soluisse. Eadem ratione de pugna, inter Henricum V. et Romanos, ad Romam, commissâ, iudicatur. In hac enim Chronicon Cassinense, atque inde Baronius, Romanos victores discessisse tradunt. Abbas Urspergensis autem, et Domnizo, in vita Mathildis, aliique, Romanos victos esse dicunt. Vtris igitur

tur erit habenda fides? Euentis scilicet consideratis, quis verum dixerit, intelligetur. Atqui reperimus, Papam e vinculis, a pugna illa, liberatum non fuisse, atque adeo, libertatis causa, Imperatori Ius inuestiendi Clericos, vt vocant, concessisse: quae repugnant victoriae Romanae, eaque, faciunt, vt *adversus* iudicetur

XLIV

Permagnam etiam, ac prope dicam maximum, momentum *Chronologicae rationes* faciunt. Earum enim tanta vis est, ad verum constituendum et refellenda falsa, vt, quae iis consentiant, non modo possibilia, sed etiam certa, quae repugnent, *adversus* et falsa recte iudicentur *). Liuius quidem, hoc vno argumento, recte refellit eorum sententiam, qui Numam Pythagorae auditorem faciant. Recte itaque Torrentius negat fieri potuisse, vt Tiberius Galbae, puero, dixerit:

ad Suet. Galb.
c. 7.

καὶ σὺ τέκνον τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παγατρώξῃ, etiamsi omnes, praeter Suetonium, tradant, cum temporum ratio doceat, Galbam, ante Tiberii principatum, pueritiam egressum fuisse, Suetoniumque potius audiendum, qui dictum illud Augusto tribuat. Satis, de fide, e rerum natura cognoscenda, dictum: ad alia veniamus

XLV

Multum porro in fide iudicanda valere putatur,

F 3

scripto

*) v. Pagius in Praef. ad Crit. Bar. et Dodwellus praef. ad Praef. Cambd. p. 5. 6.

*Monit. Ge-
neal. p. 32.*

scriptorum inter se consensus atque dissensus. Sed de hoc quoque iudicandi genere non satis circumscripte, ne a Palignesio quidem, praeceptum cognouimus. Non autem ii sumus, qui negemus, scriptorum consensum interdum fidem rei facere, dissensumque minuere: sed falsissimum est, eam regulam vniuerse ac simpliciter valere: neque vilo modo audiendus Palignesius, cum consensum, in primis aequalium rebus scriptorum efficere dicit, vt vere res tradita putari debeat, dissensum contra, vt incerta iudicetur, dissensum autem posteriorum scriptorum ab aequalibus tempori ei, ad quod res pertineat, nil obesse fidei. Falluntur ergo, qui huic praecepto confisi, Liuium v. c. in iis tantum rebus fide dignum censent, in quibus eius cum ceteris earundem rerum scriptoribus consensus demonstrari possit. Idque adeo ex iis, quae supra sunt constituta, facile poterit intelligi. Nam, quis non videt, si vnus rem tradat, siue aequalium, qui rem necessario, et, vt gesta erat, sciebat, et litteris consignabat, aut, in quem conueniant cetera signa rei, quam necessario sciebat, vere traditae, siue posteriorum, qui aut ex illis ipsis, aut eorum monumentis publicis priuatisque, acceperit, ei neque consensum, neque dissensum ceterorum, vel detrachere, vel addere fidem posse. Tanquam, cum constet, Polybium ea, quae de bellis Punicis I. et II. tradit, e monumentis publicis maximam partem; quae autem de tertio habet, ex ipso Scipione, eiusque commentariis,

mentariis, accepisse, aut ipsum vidisse, ea certa putantur, etiamsi omnes alii dissentiant. Atque haec *prima* huius loci *lex* esto

XLVI

Secunda haec est: Si plures in aliqua re consentiant, aliter autem tradat vnus ex iis generibus scriptorum, quos prima lege descripsimus, nihil eorum consensus valebit. Res manifesta est ex iis, quae supra dicta sunt §. 11.

XLVII

Tertium praeceptum hoc sit. Si posterioris temporis vnus rem tradat, qui aut e litteris publicis, aut ex iis hauserit, in quos cadunt §. 31. seqq. dicta, plurimorum aequalium, qui non sint eius generis, consensus nihil contra eius fidem valebit, multo minus consensus non aequalium, aliter tradentium. Vnde intelligitur, si Liuius aliquid tradat, quod aliter referant Plutarchus, Appianus, Florus, hique maxime consentiant, tamen Liuii fidem non infirmari, neque, si consentiant, augeri. Nam, Plutarchum, satis constat, linguae latinae inscitia monumenta Rom. publica, aut qui ex his hausissent, scriptores, consulere non potuisse, sed e Graecis sumfisse omnia, neque satis diligentem in veritate exquirenda fuisse. Appianum autem omnes, qui diligenter intelligenterque legerunt, cognouerunt ineptum Graecorum, imprimisque Plutarchi, compilatorem, quem etiam interdum ita descripsit, nominatim in Syriacis, vt, aut non intellexisse, aut festinantissime

tissime scripsisse, appareat. De Floro ne dicere quidem attinet: adeo notum est, hominem studiosiorem frigidis acuminibus captandis, quam historiae ex idoneis fontibus tradendae, fuisse

XLVIII

Hoc quoque pernecessario verissimeque praecipimus: si plures scriptores, quamuis aequales, sed non e generibus primis, neque de rebus iis, quas supra diximus h. e. quae ad omnium aequaliter scientiam perueniant, si talium igitur plures consentiant, nihil prodest, aut valde parum, consensus, plurimum obest dissensus. Nam etiam in errore plures consentire possunt: dissensus autem indicat, rumores varios fuisse, et ita quemque, ut auditione acceperit, tradidisse

XLIX

Sed, si aequales auctores consentiunt in tradendis rebus iis, quae, cum accidunt, latere non possunt, sed ad omnes promiscue, pari perspicuitate, dimanant, illo ipso consensu res eae fiunt certiores, posteriorumque dissensus aut nunquam, aut rarissime, oberit

L

Contra, si posteriorum scriptorum quamuis consentiant permulti, in rebus eius generis, vnus autem aequalis aliter tradat, nil efficit illorum consensus, plurimum huius dissensus valet: nisi, si pateat, posteriores illos ex aequalibus summis, iisque magis idoneos eo, a quo dissentiant

LI

LI

Omnino tenendum est, *consensum et dissensum per se, in neutram partem, aliquam vim habere posse*, sed accipere omnem a rerum natura, consentientiumque vel dissentientium auctoritate: quae iudicatur rebus iis, quas supra demonstrauius

LII

In fidei autem praeceptis non modo hoc est, ne quid dicatur, quod non sit factum, neue secus, quam factum sit, de eoque iudicando a nobis est dictum, sed etiam, ne quid veri non dicatur. Atque id est fundamentum vulgaris praecepti, cum dicunt, ea, quae in scriptoribus aequalibus, aut mox secutis, non reperiantur, ea conficta a posteriori aetate videri: eoque cum, in fide rei conuellenda, utuntur, *insiciale argumentum* appellant. Sed id vniuerse sumtum nullo modo poterit probari. Quam multa enim, vel per negligentiam, vel alia qua de causa, litteris non consignantur? Quam multa autem posterior demum aetas ex tenebris producit? quae conciderent omnia, si hoc praeceptum constitui ac valere pateremur. Sed res est ita manifesta, ut multi, eius alioqui auctores ac defensores, agnoscant. Launoius *) quidem, Papebrochius **) et nuper Palignefius ***) his finibus circumscribunt, ut in rebus tantum

*) In animad. ad Thiersi diss. de argumento insicali

) In Propylaeo ad Act. Sanct. T. II. Apr. *) p. 243. l. c

tum maioribus atque illustribus locum habeat; eaeque, si a scriptoribus aequalibus fileantur, pro fictis repudientur. Sed ne sic quidem mihi videntur eam rationem iustis limitibus coercuisse. Nam, ut alia taceam, quis non videt, potuisse intercidere scriptores, in quibus res tradita esset. Quam multa, eaque maxime illustria, ab vno tantum scriptore prodita reperimus? Vnus, ut hoc vtar, Iulianus in Epistola ad S. P. R. Atheniensem, tertii fratris sui mentionem facit, itemque sororis, Constantio ante Eusebiam nuptae, qui propterea vulgo in stemmate Constantini omittuntur. Si igitur, aut tota illa Epistola, aut illa pars interisset, sane de re perillustri silentium omnium scriptorum esset. Porro, vnus Gregorius Nyssenus memorat Gratianum Theodosii Magni filium, ante patrem, mortuum, in oratione funebri in Placillam: vnde vulgo ignoratus, ne a Cangio quidem, in familiis Byzantinis, commemoratur. Quod si ista oratio intercidisset, haberemus silentium de Gratiano. Restat igitur, ut eius argumenti vsus diligentius definiatur

LIII

Ego autem sic existimo, si ab aequalibus scriptoribus nulla mentio facta sit rei eiusmodi, quae necessario ad omnes perueniat, cuius generis quae sint, antea demonstratum est, quamque adeo, nullo modo propter celebritatem ignorare, e consilio scribendi autem praeterire non potuerint, eam pro ficta reiiciendam esse.

Hacc

pag. 270. 272.
Edit. Lips. ad
quae Petrus

Haec duo igitur diligenter sunt videnda. Sed maxima vis est in altero, h. e. in necessitate narrandi, cuius demonstratio plerumque difficilis reperitur. Nam in hoc genere necessitatis videndo alius aliter mouetur: neque omnibus, siue potius paucis, hoc datum est, vt, quid in quaque re consilium desideret, quid necessarium dictu sit, nec ne, intelligant. Itaque apparet, rationem istam cadere tantum in scriptores elegantis iudicii, qui dilectum rerum habere sciant, in Thucydidas, Polybios, hisque similes. Sic, si Suetonius Imperatoris alicuius liberòs narraturus, non haberet, quos posteriores traderent, recte eo argumento vteremur. Eleganter etiam, et loco, dicemus vsum esse Borghinum *) ad conuellendam fabulam de libertate Florentinis a Rudolpho vendita, cum e silentio Alberti Argentinensis colligit, eam rem esse commentitiam. Narrat enim diligenter iste Albertus res gestas Rudolphi, atque imprimis donationes Pontifici ab eo factas: huius vero tam illustris et ad illum locum maxime pertinentis rei plane nullam mentionem iniicit. Eademque ratione inauguratio Lotharii II. Mediolanensis, ob silentium aequalium, maxime autem Landulfi, qui Lothario vbique comes adfuit, ficta recte putatur a Pagio **) et Ant. Saxio ***) V. C.

G 2

LIV

*) In Discorso de Firenze ricompro' la liberta da Rodolfo Imp.
p. 319. Palign. p. 309

**) ad a. 1134. n. 14

***) in not. ad Landulf. p. 519. col. 1

LIV

Sed ne sic quidem istud argumentum in omnibus rebus consistit. Itaque addamus etiam hoc, ut pareat, scriptores nullas idoneas silentii, sed graues potius commemorandi causas habuisse. Quod non viderunt ii, qui v. c. in illa, de Ioanna Papissa, fabula refellenda hac ratione sunt vsi. Nam in ea causa non sufficiunt istae duae conditiones: propterea, quod latini scriptores, qui eam rem silent omnes, Romanae Ecclesiae cum fautores essent, rei tacendae graues causas habuerunt: quanquam Palthenio *), ex eo, quod multi tum omnia Pontificum facinora prodiderint, aliter videtur. Quod si vero, ex Allatiana ratione, addas, silentium graecorum scriptorum aequalium **), quibus graues eius rei commemorandae causae fuere: tum vero demum rem confeceris, vimque iustam ea argumentatio habebit

*) apud Schelh. T. IX, p. 818. Am. liter

**) Συμμικροis L. II. pag. 415. et apud Schelh. Am. Litt. T. IX. p. 779. seq

P. 32. lin. 12. leg. vicinae Ioniae originis homine.



Fc 1285

Vol 18

ULB Halle 3
004 966 066



Sb.

nr.







DE
FIDE HISTORICA
RECTE AESTIMANDA

DISPUTATIO
IN ACADEMIA LIPSIENSI

CONSENSU

AMPLISS. ORDINIS PHILOSOPH
PRAESIDE

IO. AVGVSTO ERNESTI

A. M. HVMANIOR. LITTER. PROF. ET SCHOLAE
THOMANAE RECTORE

A. D. VI. APRILIS A. C. MDCCCXXXVI

AD DISCEPTANDVM

PROPOSITA

A

CHRISTIANO LVDOVICO STIEGLITZ

LIPSIENSI

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIANA

